

LVNÆ DIE 21 M. OCTOBRIS A. 2002

A.d. XII Kal. Novembres a. MMII

I I O

# M E L I S S A

---



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA



AUSPICIIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / Telecop. 02.735.51.32. / guy.licoppe@pophost.eunet.be  
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4



## DE ACADEMIÆ CONVENTV

**S**emper iucundum est iter in Hispaniam facere. Huius itineris optimam occasionem præbebat x Conventus Romanæ Academiæ Latinitati Fovendæ, qui non sine multis fortunæ vicissitudinibus ineunte mense septembri Matriti habendus erat.

Antonius Capellán, architectus magnusque conductor, ante nonnullos annos vivæ Latinitatis amore captus, sodalis factus est Circuli Latini Matriensis, quem condidit Augustinus Cano et moderatur Iosephus María Sánchez. Antonium Capellán primum conveni anno 1997 in Belgica, cum seminarium Geldoniense una cum Augustino Cano et Iosepho Sánchez participaret.

Eodem anno habitus est in Finnia IX Academiæ Conventus, frequens lauteque instructus, faventibus publicis potestatibus. Cuius successu impulsus, Antonius Capellán de insequenti conventu in Hispania instituendo cogitare coepit. Bona erat occasio, cum nulla civitas hospitalitatem suam adhuc præbuisset. Consuetudinem ergo iunxit cum Romano professore Brunone Luiselli, Academiæ præside recenter facto.

Cum Academiæ conventus quinto quoque anno haberí soleat, proximus anno 2001 erat instituendus. Visum tamen est conventum potius in annum 2002 differendum esse Salmanticæque instituendum ; hæc enim antiqua præstansque urbs hoc ipso anno caput cultus Europæi futura erat.

Multam operam Salmanticæ dedit Iosephus Sánchez ad conventum parandum, quare valde deceptus est cum patuit Antonio Capellán cum Salmanticæ regentibus conventus condiciones convenire non potuisse. Diu in dubio fuit utrum conventus haberetur necne. Magna tamen perseverantia usus est Antonius Capellán, qui, iuvante Augustino Cano, aliam conventus sedem Matriti invenit in Sancti Pauli Universitate (v. Universidad San Pablo-CEU), ubi ipse studia architecturæ incohaverat.

Die Lunæ 2 m. Septembbris, in lauta commodaque universitatis aula, Academiæ præses Bruno Luiselli et Antonius Capellán conventum inauguraverunt. Præses Luiselli imprimis dixit nullum futurum fuisse conventum sine Antonii obstinatione. Eundem cum omnia instituisset, regisset, ordinavisset, verum conventus præsidem esse nominandum.

Ad conventum participandum circiter nonaginta homines nomen dederunt. Iter Matritum etiam fecit Grex Latinus Universitatis Treverensis, cuius scopus ab anno 1989 est comœdias Plautinas diversis locis agere. Secum apportaverant magnas tabulas pictas quibus ornaretur scæna. Gregis ductrix, Mercedes González-Haba de Kroener, participibus comœdiam

Plautinam c.t. *Pseudolus* obtulit, quam optimi actores vividissime egerunt.

Per sex dies prolatæ sunt maiores orationes et minores acroases de quibus hic referre nequeo ; in actis conventus divulgabuntur. Scitu dignum est Institutum Finnicum Radiophonæ et Televisionis (YLE) Matritum misisse retringit Marjo Cunningham, a cuius officio pendent emissiones Latinæ, ut conventus relationem imaginibus illustrandam curaret ; hæ pulchræ imagines ostenduntur in situ interretiali Nuntiorum Latinorum (<http://www.yle.fi/fbc/latini/>).

In programmate nuntiatum erat Brunonem Luiselli de historia Academiæ Latinitati Fovendæ, cui præest, verba facturum esse. Rem infeliciter prætermisit, dicens ut, si cuius interesset de hac historia plura compere, hoc in conventus actis serius legeret. Ipsum præsidem Academiæ historiam participibus suppilavisse valde doleo. Oportuit enim audire qualem in scopum Academia Latinis Litteris Linguæque Fovendis, cuius nomen postea mutatum est in Academiam Latinitati Fovendæ, anno 1968 condita esset. Nata enim est e voto participum frequentis « Conventus omnium gentium ac nationum Latinis litteris linguæque foven- dis » Romæ anno 1966 habiti. Qui conventus ipse ortus erat e « Motu pro Latinitate viva », cuius congressus ab anno 1956 in Francogallia habebantur.

Debuit ergo Academia Latinitatem vivam fovere, de novis vocabulis fingendis et de seminariis quam plurimi locis instituendis curare, Latinitatis vivæ fautores aggregare et hortari. Sunt inter Academiæ sodales nonnulli veri propugnatores Latinitatis vivæ, qui multa gesserunt ad eam locupletandam et propagandam ; quædam tamen pars sodalium constat e professoribus, quibus ea nullo modo est cordi, quique ipsi Latine loqui sive nesciunt sive nolunt.


Academia ergo, cuius præstantia perutilis fuisset ad regentium consilia inflectenda, non facta est Latinitatis vivæ propugnatrix. Latinitas viva, cuius vires manifesto crescunt, eget quodam instituto, cuius sodales sint sinceri et actuosi fautores. Quod si in ipso Academiæ gremio creari non potest, cogitandum est de re funditus nova. ■

Gaius LICOPPE


## DE SASSANIDARVM IMPERIO

- *scripsit Gaius Licoppe* -

**P**ersia hominum memoria vicinis suis occidentalibus semper fuit infesta. Iam VI saeculo a.C.n. Cyrus, Persarum imperii conditor, in Asiam Minorem invasit, ubi Croesum, Lydiæ regem, devicit. Eius successores, e quibus constat stirps Achæmenidarum, V saeculo bella Medica, quæ dicuntur, contra Hellenes gesserunt.



*In hac alta rupina, bode Naqsh-i Rustam vocata et iuxta Persepolin sita, Achæmenidæ ingentia sepulcra sibi excavanda curaverunt.*



*Hoc est sepulcrum Darii I, qui Persepolin splendide extruxit ut caput sui imperii fieret.*

Omnis recordantur Alexandri Magni res gestas, qui IV saeculo toto Achæmenidarum imperio potitus est atque eorum urbem caput Persepolin delevit.

Alexandro inopinanter mortuo, Seleucus, unus ex eius successoribus (Græce διαδόχοι) Syriam et Persiam regendas obtinuit atque in has regiones animi cultum Hellenisticum introduxit. Seleucidarum stirps re vera Syriam et litora maris Mediterranei magis curaverunt

quam ipsam Persiam, ubi non desierunt haberi ut extranei invasores.

Non mirum ergo quod gradatim e Persia et Mesopotamia expulsi sunt a septentrionali gente Parthorum, quæ III saeculo a.C.n. novum regnum ibi condidit. Eius reges, qui vocantur Arsacidæ, multa bella contra Seleucidas et postea Romanos gesserunt.


Eorum vim primum experti sunt Romani, cum triumvir M. Licinius Crassus ab eis anno 53 a.C.n. apud Carrhas profligatus est atque trucidatus. Parthi equites vibrabant nitentia vexilla ex serico facta, quod Romani tunc primum adspiciebant.

Ad Crassi cladem ulciscendam Cæsar Parthos aggredi parabat, cum in senatu Romano interfactus est.

Parthorum imperium circiter quinque saecula duravit. Anno 224 p.C.n. Artabanus V, ultimus rex huius stirpis, devictus est trucidatusque ab Ardaciroy, cuius pater Papak provinciæ genuinæ Persiæ præerat.

Ardacirus consilium cepit præstantissimi Achæmenidarum imperii restituendi. Fama enim fert eum numerari inter posteros ultimi Achæmenidarum regis, Darii III. Persicæ nationis ingenium proprium a contagione Hellenismi imitandi liberare in animo habebat. Hellenismum enim, quem secum attulerant Seleucidæ, non repudiaverant Arsacidæ, quippe qui se ipsis dicerent « philhellenes ».

Ardacirus dynastiam Sassanidarum incohavit ; eorum




*Hic evolvitur charta geographica Iranie et circumdatarum regionum. Spectemus imprimis Iranæ situm geographicum. Cum inter mare Caspium et sinum Persicum intersit, Sassanidæ impedire valuerunt ne vagæ equitum tribus Asiae centralis ad litora maris Mediterranei procederent.*

nomen deductum est a quodam atavo vel deo nomine Sassan, de quo vix quicquam certi scimus. Hæc dynastia, quæ regionem Iranianam plus quattuor sæcula rexit, vere digna est curiositatis nostræ.

Sæculo V p.C.n. equites Hunni Hepthalitæ, Sogdiana et Bactriana potiti, primum impetum in Sassanidarum imperium fecerunt. Repulsi tamen sunt a Rege Regum Bahram Gor (420-438). Paulo post Hunni novum impetum fecerunt, quo Regem Regum Peroz (459-484) devicerunt atque necaverunt. Sassanidæ tamen usque ad finem sui imperii vagas equitum tribus repellere valuerunt. Sæculo VI Rex Regum Khosrovus I regnum quod Hepthalitæ condiderant extinxit atque fines suos usque ad Sogdianæ flumen Oxum extendit.

In initio Sassanidarum imperii, nullum periculum ad limitem orientalem instabat. Tunc in animo habebant totos Achæmenidarum fines recuperare, unde orta sunt bella fere continua contra Romanos et postea Byzantinos.

Antequam de eorum rebus gestis nonnulla narrrem, monendum est nimis paucos fontes historicos apud Sassanidas inveniri. Vix enim scribebant ; eorum animi cultura fere tota verbo solum tradebatur, quare ab historicis habentur ut ultimi superstites antiqui Orientis. Ergo præter paucas inscriptiones in rupinibus incisas, tantum exstant fontes extranei, Armeniaci et Syriaci, vel posteriores lingua Pehlevi conscripti.



*In his anaglyptis investituræ celebrandæ, a dextris videmus deum supremum Abura Mazda, qui agnoscitur sua corona pinnata et barba quadrata ; eius equus nudum virum calcat, quo repræsentatur genius Mali, Abriman. Ardacirius globoso Sassanidarum regum insigni (κόρυψιος), quod in capite gerit, agnoscitur ; eius equus calcat Artabanum IV, Parthorum regem a se devictum. In Ardaciri tergo stat regius puer cum flabello. Deus Ardaciro traditum diadema fasciis corrugatis ornatum, quod cidar vel cidaris vocatur. Notandum est regem se deo subditum non præbere.*


Ardacirius, e genuina Persia oriundus, i.e. e meridionali parte Iraniæ, dialecto Pelhevi utebatur, quæ paululum differebat a dialecto septentrionali Parthorum. Quamobrem sollemnes textus in rupinibus incisi sæpe erant trilingues, i.e. lingua Pelhevi, Parthica, sed etiam Græca, propter reverentiam adversus culturam Hellenisticam.

Ardacirius ad investituram suam perenne celebrandam scenam exsculpentam curavit in illustri rupina prope Persepolin sita, ubi excavata erant Achæmenidarum sepulcræ.

Novum Sassanidarum regnum manet feudale atque nititur in septem nobilibus potentibusque familiis. Modo Indo-Europæorum incolæ dividuntur in tres classes, sacerdotum, bellatorum et agricolarum, quibus adiunguntur artifices.

Ardacirius imperium Romanum sine mora aggredi cœpit ; Nisibem, Carrhas et paulo post Hatram cepit, tempore quo Maximianus (235-244) Romanus imperator erat.

Anno 241 Ardaciro successit eius filius Sapor I, cuius regnum maximi momenti fuit. Cum Romani imperatoris Gordiani III (238-244) exercitus fere totum agrum a Persis captum recuperavisset, Sapor I ei obviam processit eumque ad Euphratem profligavit ;




*Hic a dextris videmus Saporem I in equo sedentem. A sinistris adspiciuntur duo imperatores Romani, Philippus Arabs, cuius sublatas manus tenet Sapor, et Valerianus genu flectens atque supinas manus tendens qui Saporis misericordiam imploret.*

(Naqsh-i Rustam)

Gordianus interfactus est. Eius successor Philippus Arabs (244-249) pacem cum Sapore fecit, cui Armeniam reliquit ; captivos Romanos redemit.

Romanus imperator Valerianus (253-260) cum novo exercitu Persas aggressus est, sed bis victus est. Primum in Syria, ubi perierunt sexaginta milia militum Romanorum. Sapor tunc Syriam populatus est, cuius nonnullæ regiones inde usque nostra tempora

desertæ manserunt. Antiochia potitus est atque Duram Europum, urbem bene munitam in Euphratis ripa sitam, obsessit et cepit. Duræ Europi ruinæ abhinc derelictæ manserunt. Antiochiæ incolæ in Persarum fines deportati sunt.




*Mediis in anaglyptis, Saporem I in equo sedentem videmus. Gordianus III mortuus sub equo iacet. Sapor sinistram manum in capite Philippi Arabis ponit. Valerianus videtur accurrere ad Saporis misericordiam implorandam. Ad sinistrum scænæ latus finguntur duodeviginti Persæ pileo agnoscibiles, ad dextrum viginti quattuor captivi Romani. (Darabgird)*

Altera clade apud Edessam in Mesopotamia accepta, Valerianus a Sapore captus est atque in Persia obiit. Ingens fuit fama Saporis, quippe qui Romanum imperatorem captivum retineret ; quare hoc extraordinarium facinus in ipsa Achæmenidarum rupina commemorare voluit.

Sapor I suam præclaram victoriam non solum in Achæmenidarum rupina celebravit, sed etiam aliis locis, ut in rupina apud oppidum Darabgird sita.

Una ex causis Persarum victoriarum est terribilis impetus equitum cataphractariorum, qui etiam clibanarii vocabantur. Erant feudales equites qui suis ipsorum



*Hic cataphractarius ostenditur inter sagittarios equitanos.*




*In hoc argenteo disco artificiose cœlato regem videmus sine stapediis equitantem et venantem.*

sumptibus armabantur et nullum stipendum acciebant. Ipsi et eorum equi toti protegebantur tunica ferrea et lorica scutulata. Magnam lanceam gerebant, qua hostem facile perfodiebant. Etiam utebantur ense, securi et clava.

In Persarum exercitu etiam erant leviores equites sagittarii et interdum elephantes.

Sæculo III et IV omnes equitant sine stapediis ; Romani hoc equitationis utilissimum adiumentum non noverunt, quare vocabulum *stapeda* non est antiquum<sup>1</sup>.

Stapedæ in Sinis V sæculo p.C.n. inventæ esse videntur, unde gradatim ceteri populi eas noverunt et adhibuerunt. Apud Persas non ante VII sæculum fuerunt in usu.



*Stapeda argentea VII sæculi.*

Post tantas clades a Persis acceptas, Romani fabricas clibanarias creaverunt ad turmas equitum cataphractariorum armandas. Sic præfigurabantur armamenta, quia crucisignati nonnullis sæculis post in iisdem regionibus gesturi erant.



*In hoc argenteo disco VII sæculi venator in stapedis nittitur dum in equo conversus leoni sagittam collineat.*  
(In Petropolitano museo)

Viginti circiter annis post Valeriani cladem, Romani Persarum urbes capita Ctesiphontem et Seleuciam oppugnaverunt atque prædati sunt. Insequentibus temporibus Sassanidæ et Romani non desierunt invicem vincere et vinci.

Sapor I etiam putavit religionem in suo novo imperio esse curandam. Diversæ fides vigebant apud gentes Iraniaæ ; inter eas mazdeismum elegit, qui fieret statalis religio.

Mazdeismus est forma Iraniana pristinæ religionis Indo-Iranianæ. Eius deus supremus vocatur Ahura Mazda, Universi creator et Cæli dominus. Præter eum colebantur minores deitates e quibus Mithras, bonorum hominum protector, malorum profligator ; soli invicto assimulabatur ; habebatur diei oculus omnia perscrutans. Eius cultum milites Romani iam primo sæculo a.C.n. in imperium Romanum importare coeperunt, ubi paulatim religio magni momenti factus est ; permulta Mithriaca fana ubique imperii Romani inventa sunt, cum vix ullum in Irania inveniretur.


Dea Anahita etiam colebatur, cuius nomen significat « immaculatam » (Græce vocabatur Ἀναῖτις) ; est virgo fortis et prudens, quæ etiam facta est dea amoris et felicis procreationis.

Regno lucis et prosperitatis, quod regit Ahura Mazda, opponitur regnum tenebrosum maleficumque dæmonum, quorum princeps vocatur Ahra Manyu (i.e. Malus Spiritus), quod nomen sæpius scriptum est Ahriman.

Mazdeismus iampridem reformatus erat a propheta Zoroastre, de quo vix quicquam scimus ; putatur VII sæculo a.C.n. vixisse. Mazdeismum tum minus cruentum cum magis spiritalem fecit.

Sapor I sacerdoti Kartir mandavit ut omnia instrueret disponeretque, quibus mazdeismus ubique imperii laute celebraretur. Sacerdos munere suo optime functus est atque vir maximi ponderis factus est, non solum Sapore regnante, sed etiam tempore eius trium successorum. Multa templa condidit, ubi ignis sacer continuo alebatur, curantibus magis.

Doctrina ritusque mazdeismi solum verbo traditi sunt. Magi, quibus ritus servandi erant, non ante IV sæculo p.C.n. eos scriptis mandare cœperunt. Hic liber sacer, Avesta vocatus, imperfectus ad nos pervenit. Ibi



*In his anaglyptis repræsentatur investitura Saporis II (309-379), qui in medio stat. A dextris, Ahura Mazda ei cedar tradit ; ambo calcant virum mortuum gladio præditum, scilicet imperatorem Romanum Julianum, qui interfactus est dum impetum in Mesopotamiam facit. In Saporis tergo stat deus Mithras ex radiorum corona agnoscibilis ; sub eius pedibus se pandit flos loti.*



*His anaglyptis ostenditur investitura regis Narseb (293-302) ; cedar ei non traditur ab Ahura Mazda, sed a dea Anahita modo reginorum tenui stola serica vestita, sed deorum coronam pinnatam gerenti. Inter regem et Anabitam stat puer regius. Pone regem stat eius successor. (Naqsh-i Rustam)*

inter alia inveniuntur strictissimæ leges de puritate, quæ magnam similitudinem præbent cum Levitico libro Iudæorum ; laudatur ibidem matrimonium inter consanguineos (endogamia), quin etiam patris cum filiabus (incestum).

Mortui habebantur impuri ; qua de causa exponebantur in locis desertis et, quantum fieri poterat, in rupibus, ne terram et aquam spurcarent ; ibi eorum carnes a bestiis devorabantur. Propter hanc mortuorum aversionem magos tædebat Christianorum consuetudinis cadaverum in cœmeteriis humandorum. Ossa tantum a mazdeismi sectatoribus servabantur, quæ habebantur ut cautio futuræ corporum resurrectionis. Quam fidem Christiani a mazdeismo sibi assumpserunt.

Tempore Saporis I apparuit in Mesopotamia novus propheta nomine Manes (217-275), qui religionem non gentilem sed universalem mente concepit, ubi veterem mazdeismum locupletavit synthesis doctrinæ Zoroastris, Buddhæ et Iesu. Horum trium prophetarum se ipsum habebat ultimum successorem. Contra mazdeismi


consuetudinem, Manes doctrinam suam ipse conscripsit in septem libris distributam ; est canon in æternum immutabilis religionis Manichææ<sup>2</sup>.

Fama fert Manetem convenisse Saporem i initio eius regni. Placuit Saporis nova doctrina, qui Maneti licentiam dedit eam late longeque propagandi. Post Saporis mortem, sacerdos Kartir, magorum caput, invictus correptus, a rege obtinuit ut Manes hæresis insimularetur, capite condemnaretur atque ad supplicium atrox daretur, quod Manichæi vocant Manetis passionem. Postea magorum hierarchiæ potestas in Sassanidarum imperio augeri non desiit. ☩

(continuabitur)

1. Stapeda, æ (R. HOVEN, *Lexique de la prose latine de la Renaissance*, Leiden, Brill, 1994) : Fr. étrier, Angl. stirrup, Th. Steigbügel.

2. Manetis sectatores vocantur Manichæi, quod nomen ductum est a vocabulo Syriaco « Mani hayya » i.e. « Mani vivus ».



*Loco bodie Naqsh-i Radjub vocato sunt anaglypta ubi appetet sacerdos Kartir, qui textum religiosum dígito commendat. Idem tres alias inscriptiones in diversis locis exsculpendas curavit. Praeter has inscriptiones vix exstat in Irania iconismus religiosus. Kartir solus inscriptiones fecit ; ceteræ sunt regales.*

F. WAQUET, *LE LATIN OU L'EMPIRE D'UN SIGNE*  
 (ED. ALBIN MICHEL, 1998)

- *de quo libro refert Terentius Tunberg -*

Hoc opus a pluribus fortasse legetur quam plerique opera academica et erudita, quippe quod Gallice primo compositum iam etiam in linguam Anglicam sit versum. Explicare conatur auctrix quanti momenti fuerit lingua Latina in cultu civili Europæo inde a sæculo sexto decimo usque ad vicesimum. Multis indicis et testimoniiis allatis, res varias explicat, quarum pleræque haud sunt ignotæ. Sexto decimo sæculo non solum scientias et disciplinas sed multas alias res tam civiles quam sacras lingua Latina et diffusas et traditas esse. Plures libros Latine quam linguis vernaculis scriptos multis in regionibus usque ad sæc. XVII typis expressos esse. Quas autem condiciones processu temporis sensim esse mutatas. Linguarum vernacularum usum semper creuisse, suadentibus nonnullis vel eruditis ut linguae populares ad omnes res, etiam abstrusas et scientificas tractandas adhiberentur. Institutionem et provectionem et iuniorum esse dilatatam et amplificatam quo pluribus hominum gradibus et professionibus etiam humilioribus esset accommodatior. Multis in Europæ partibus linguarum et litterarum vernacularum institutionem esse vertente sæc. XVIII in studiorum universitates inductam. Eodem sæculo lingua Latinæ usum et momentum aliis etiam rebus, quæ omnes (velut rerum eversione in Gallia exeunte illo sæculo facta) non solum ad cultum popularem provehendum et dilatandum, verum etiam ad disciplinas veteres coartandas tenderent, esse valde imminutum. Institutionis Latinæ dominatum et principatum magis magisque sæcc. XVIII et XIX labefactatum tandem sæc. XX esse eversum et deletum. Disciplinam illam et doctrinam quandam necessariam et primariam tandem esse factam subsidiam, subsicivam, voluntariam.

Patet et e materiae conspectu et e fontibus memoratis auctricem magna doctrina esse instructam permulsoque libros evolvisse. Opus composuit utile quippe in quo unico multas res coniunctas et explicatas ante oculos habeant lectores quas non alibi nisi separatas et aliam in alio libro inveniant. Attamen si quis hunc librum perdidiligerter scrutatus erit et excusserit, tot defectus et lacunas quot emolumenta videbit.

Asseverat auctrix se ad proclivitates demonstrandas et progressus et motus generales conspectu quodam « supranationali » usam – at methodum « encyclopædicam » respuisse.<sup>1</sup> Talis tamen methodus nobis videtur fuisse necessaria ad propositum, quod sibi destinavit auctrix iusto iure exsequendum. Ut talem historiam vera habeamus, opus erit componendum quod non unico libro sed multis tomis constet. Multa affert testimonia, verbi gratia, quæ ad Britanniam, Galliam, Italiam pertinent, sed multo pauciora e Scandinavia et

Batavia et Europæ orientalis regionibus arcessivit. Invenitur præterea litterarum Latinarum recentiorum rationumque variarum quibus lingua Latina inde a litterarum renatarum ætate est usurpata conspectus multo plenior multoque pluribus testimoniiis locupletatus in opere palmarum, quod *Companion to Neo-Latin Studies* inscribitur.<sup>2</sup>

Cur cultus civilis qui litteris Latinis linguaque Latinæ usu continebatur minus minusque congruerit moribus et institutis quæ inde a medio sæc. XVII inoleverunt identidem demonstrare conatur : at quibus de causis idem cultus ante illud tempus utilis fuerit et viguerit multo minus diligenter explicat. Quædam igitur mutationes non sunt satis explicatae.

Declaranti auctrici in scholis institutionem infra magistorum exspectationem fere semper cessisse partemque discipulorum minorem bene lingua Latinam didicisse (pp. 160-82) quidni assentiamur ? At quid attinet hanc condicionem memorare ? Etiam nostra ætate, quo tempore methodis et apparatu didascalico validissimo potimus, evenitne sæpe ut maxima pars cuiuslibet lingua externam discentium gregis, præsertim necessitate quadam academica coactorum et obstrictorum, ad scientiam perveniat perfectam et absolutam ? Sæculis et sexto decimo et septimo decimo tantum temporis in rem Latinam nonnullis in gymnasii et lyceis insumbatur (quibusdam enim in ludis vix quidquam aliud docebatur), ut effici vix posset quin saltem quidam alumni lingua Latinam tanquam alterum sermonem patrium callentes evaderent.<sup>3</sup> Pars cultus civilis Europæ amplissima ab ineunte Renascentia usque ad sæc. XVII decennia ultima, ne quid de medio ævo dicamus, lingua litterisque Latinis tradebatur (id quod Waquetia ipsa non semel confitetur) : quomodo hæc condicio tam diu durare poterat, nisi satis multi sermo ne Latino facile et efficaciter utebantur ?

Quamquam lingua Latinæ scientia clericis et sacerdotibus iniungebatur, non tamen pauci homines ecclesiastici, sicut asseverat Waquetia, non solum his novissimis sæculis sed etiam ineunte sæc. XVII lingua necessariæ vix elementa discebant.<sup>4</sup> At hæc condicio iam pæne ineunte medio ævo extiterat<sup>5</sup>, nec unquam fuit impedimento quin permulti clericis hominesque ecclesiastici eandem lingua bene et intellegerent et usurparent.

Afferuntur a Waquetia testimonia nonnullorum sæc. XVIII scribentium, qui asseverant multo commodius esse lingua vernacula quam Latina scribere propter inopiam verborum Latinorum quibus res recentiores describantur.<sup>6</sup> Quam inopiam inter causas numerare vult Waquetia cur lingua Latinæ usus sit imminutus. Sua quidem quam aliena lingua plerisque de rebus dis-

ceptare fere semper est et fuit facilius. Attamen hac in re agitur de cultu civili mutato potius quam de ullius linguæ proprietatibus – quam condicionem satis fuse pleneque explanaverunt tam Iosephus IJsewijn quam alii historici permulti. Tales enim de inopia querimoniae procul dubio sunt ex eo profectæ, quod mos sæc. XVIII iam invalescebat (propter institutionem dilatatam) ut multæ res linguis vernaculis tractarentur, quæ antea sola fere lingua Latina traditæ erant. Itaque minime mirum, si aliorum quoque hominum, quorum plerique aut sæc. XVII aut sæc. XVIII ineunte florebant, voces ab ipsa Waquetia alibi (et ob alias causas) memorantur, qui sententiam pæne contrariam proferunt : videlicet multo facilius esse de rebus præsertim ad scientias pertinentibus Latine quam sermone vernaculo disserere.<sup>7</sup>

Proferuntur identidem a Waquetia dicta querentium quam difficilis sit lingua Latina, quam inutilis sit institutio Latina, quam aridæ et exsangues litteræ Latinæ recentiores. Qualia testimonia congerere procul dubio haud erat difficile, quorum pars maxima est aut ab illis effusa qui inde a sæc. XVIII scripserunt, hoc est inde a tempore quo institutio Latina minus utilis nec tam necessaria quam antea videbatur, aut ab illis qui ob opera sermone populari composita inclaruerunt.<sup>8</sup>

At ubi ostendere conatur qualis fuerit sæculorum recentiorum Latinitas, ibi sunt corrigenda plurima. Morem Latine loquendi et sermocinandi satis esse quondam divulgatum posteaque magis magisque coartatum agnovit, et fatetur nos vix nunc indicia fidelia invenire posse quibus facile iudicemus qualis et quam integra fuerit loquela eorum qui ante aliquot sæcula vixerint.<sup>9</sup> Nihilominus iudicare audet per totam ætatem recentiorem (hoc est, inde a sæc. XVI, quæ ætas hoc in libro tractatur) vix quemquam optime Latine locutum esse.<sup>10</sup> Exploratum quidem habere possumus e pronuntiatu diverso et inconstanti difficultates quasdam aliquando exortas esse. Suspiciari porro possumus permultos, etiam loquela Latina assuetos, more satis incondito et impolito lingua Latina in congressu familiari usos esse. At aliis e testimoniis, quorum pleraque, immo fere omnia Waquetiæ ignota esse videntur, colligere possumus non paucos emendate et volubiliter Latine sermocinatos.<sup>11</sup> Adde quod loquelæ pravæ testimoniorum, quæ memorat Waquetia permulta, pars multo maior e sæcc. XVIII et XIX provenisse videtur, quo tempore loquendi usum valde decrevisse fatetur auctrix ipsa.<sup>12</sup>

Sæpius claudicat Waquetia ostendere conans quomodo et quali Latinitate scripserint recentiores. Animadvertisit quidem hoc argumentum a philologis nostris haud sæpe esse tractatum<sup>13</sup>, nec negamus multo plura de hac re esse discenda. Attamen opera philolo-

gorum huic themati dicata nonnulla sunt his novissimis annis publici iuris facta, quæ, perpaucis exceptis, ne semel quidem memorat auctrix.<sup>14</sup> Nusquam, verbi gratia, apud Waquetiam indicantur inquisitiones, quas suscepérunt Silvia Rizzo, L. Rivero García, alii, unde discimus quamdiu et quibus de causis et apud quales auctores humanisticos quædam mediæ Latinitatis vestigia duraverint. Sententiæ præterea philologorum recentiorum nonnumquam perperam a Waquetia repræsentantur. Duo afferam exempla.

Waquetia, dictis Iacobi Binns professoris nixa, de Britannorum sermone, qui sæcc. XVI et XVII Latine scripserunt, tradit nonnulla : apud hos scriptores inventi constructiones e sermone vernaculo tractas, velut « quod » coniunctionem declarativam unde oratio obliqua inducatur – nimirum « that » coniunctionem Anglicam veste Latina indutam. Innuit porro auctrix Binnsium demonstrasse hanc Latinitatem esse defectivam, quippe quæ pro Latinitate classica nullo pacto haberi posset.<sup>15</sup> At ipsa Binnsii verba omnino aliter sonant. Qui recte asseverat constructionem declarativam, quæ a « quod » coniunctione inducatur, iam Latinitatis mediævalis fuisse propriam – nec usquam dicit hanc constructionem e sermone Anglo ductam esse.<sup>16</sup> Et asseverare possumus illam constructionem a Latinitatis vulgaris auctoribus inde a Plauti temporibus frequentatam, et præsertim in scriptura sacra inveniri – tantum abest ut sit linguæ Anglice vestigium !<sup>17</sup> Nec umquam innuit Binnsius auctorum Britannicorum Latinitatem haud integrum fuisse. Asseverat enim auctores Britannicos Latine scribentes qui Renascentia florerint compage grammatica seu syntaxi usos quæ proxime ad auctorum antiquorum usum accesserit, at vocabula nonnulla mediævalia retinuisse : quam ob causam eorum sermonem novitatis capacem fuisse : quæ omnia linguæ vivacis, flexibilis, utilis nec nimis a sermonis antiqui proprietatibus remotæ esse indicia.<sup>18</sup>

Ratione haud absimili sunt a Waquetia aut detorta aut prave intellecta indicia quæ de Latinitate Scandinava nobis tradiderunt Benner et Tengström, philologi Suetici, qui de commentationibus academicis ab anno 1611 usque ad 1716 in Suetia compositis opus utile pepigerunt.<sup>19</sup> Affirmare vult Waquetia auctores illos Scandinavos constructiones « haud classicas », h.e. quæ operibus Ciceronis et eius æqualibus desint, sæpe adhibuisse, compaginemque grammaticam e lingua vernacula aliquando sumpsisse.<sup>20</sup> At aliter docent Benner et Tengström declarantes in tot commentationibus academicis pervolutis unicum se linguæ vernaculæ vestigium fortasse invenisse, idque satis dubium et incertum.<sup>21</sup> Latinitatis « classicæ » notionem, quæ sæc. XVII

apud nonnullos viguerit, usu Ciceronis et eius æquālium non esse circumscriptam : nam multos auctores qui inde a Cicerone usque ad Suetonii tempora floruerint pro probatissimis et classicis tunc habitos esse.<sup>22</sup> Enchiridiorum et thesaurorum auctores alios aliter de novis verbis et significationibus præcepisse.<sup>23</sup> Delectum verborum apud auctores illos ex usu et necessitate pependisse : quorum linguam esse colore antiquo insignem, sed utilem et ad argumenta nova bene aptatam.<sup>24</sup>

Impeditur quoque Waquetia, quippe quæ obrussa perspicua et certa careat, qua Latinitatem recentiorem iudicet. De Latinitate « guère Cicéronien » sæpe loquitur. Sed quid sibi vult Latinitas Ciceroniana ? Quæ locutio modo pro Latinitatis antiquæ normis posita<sup>25</sup>, modo sensu magis circumscripto et exacto usurpata esse videtur.<sup>26</sup> Aliquando delectus verborum pro Latinitatis veræ et classicæ indicio haberi videtur.<sup>27</sup> Aliquando innuit eos, qui nullo adhibito ornatu sed recte et perspicue scripserint, minus Latine scripsisse quam ornatum quendam et phalerata dicta adhibentes !!<sup>28</sup> Quid ergo dicamus de antiquorum nonnullis, qui, velut ignotus ille qui libellum ad Herennium dicatum composuit, argumenta scientifica sermone satis nudo et inornato tractaverunt? Vult Waquetia Latinitatem recentiorem iudicare, at – mirum dictu – nulla apud eam fit mentio disputationum illarum, quæ de scribendi genere optimæque Latinitatis obrussa inter humanistas « Ciceronianos » et alias viam latiorem sequentes usque in sæc. XVII exardescabant (tot commentationes hoc de argumento sunt nostra ætate compositæ, ut librorum titulos afferre superse-deam, lectoresque plura de hac re discendi studiosos ad Iosephi IJsewijn opus, quod est supra memoratum, re-icere velim). Oportuit, verbi gratia, Waquetiam anima-vertere vel Ciceronianorum non paucos (Ciceronis scilicet præcepta sequentes) asseverasse verba nova ad novas res describendas decore et commode adhiberi posse<sup>29</sup> – id quod ab auctoribus Latinis qualibet ætate inde a Ciceronis tempore scribentibus est factitatum.

Hæc hactenus de minutis. Restat ut quædam generatim et universe dicamus. Multa quidem ob testimonia et indicia allata gratias auctrici agere debemus : cuius tamen libro tot desunt quot adsunt, nec tota historia quam vult narrare narrata est. Ut argumentum, quod tractare conata est Waquetia, plene moreque idoneo tractaretur, opus quoddam multo amplius, sicut supra diximus, erat componendum. Multo plura testimonia erant excutienda, eorum præsertim qui Latine scripserunt. ■■■

1. Pp. 11-13.

2. J. IJsewijn, Companion to Neo-Latin Studies, Part I : History and Diffusion of Neo-Latin Literature. Second entirely rewritten edition, Supplementa Humanistica Lovaniensia, V (Lovanii 1990), et J. IJsewijn / D. Sacré, Companion to Neo-Latin Studies, II : Literary, Linguistic, Philological and Editorial Questions. Second entirely rewritten edition, Supplementa Humanistica Lovaniensia, XIV (Lovanii 1998).

3. Cf., v. g. R. Hoven, « Programmes d'écoles latines dans les Pays-Bas et la Principauté de Liège au XVIe siècle », in opere c. t. Acta conventus neo-latini Amstelodamensis. Proceedings of the Second International Congress of Neo-Latin Studies. Amsterdam 19-24 August 1973, edd. P. Tuynman, G. C. Kuiper, E. Kessler (Monaci, 1979), pp. 546-59.

4. Pp. 70-82.

5. Vid., v. g., quae scripsit R. Sharpe, in opere, c. t. Medieval Latin Studies ; Introduction and Bibliographical Guide (Vasingtoniae 1996), p. 315.

6. Pp. 154-5.

7. Pp. 110-14.

8. Videas, verbi gratia, pp. 168-74, 182.

9. P. 183.

10. P. 205.

11. Vid., v. g. quae de eloquentia extemporalis dicunt Hortensius Landus, Cicero relegatus et Cicero revocatus (Venetiis per M. Sessam, 1534), f. 23 r-v ; Ioannes Sturmius, De amissa dicendi ratione et quomodo ea recuperata sit libri duo (Argentorati 1543), f. A3 r-v ; M. Antonius Muretus, Variae lectiones xv, in Operibus omnibus ed. C. Frotscher (Lipsiae 1841), t. III, pp. 326-8 [de Transalpinorum eloquentia], ut mihi pauca e multis exemplis afferre licet.

12. P. 183.

13. P. 183.

14. Inveniri potest, v.g., operum, quae ad Latinitatis recentioris proprietates spectant, conspectus satis amplius etsi non plenus et absolutus in opere Iosephi IJsewijn et Theodorici Sacré, quod supra laudavimus, t. II, pp. 377-41.

15. Pp. 151-2.

16. J. Binns, Intellectual Culture in Elizabethan and Jacobean England : the Latin Writings of the Age [Ledesiae, 1990], p. 300.

17. M. Leumann, J.B. Hofmann, A. Szantyr, Lateinische Syntax und Stilistik, Handbuch der Altertumswissenschaft II.2.2 [Monaci 1965], p. 576-7.

18. Op. cit., pp. 298-306.

19. M. Benner et E. Tengström, On the Interpretation of Learned Neo-Latin, Studia Graeca et Latina Gothoburgensia 39 (Gothoburgi 1977).

20. Pp. 152-3.

21. Benner et E. Tengström, op. cit., p. 84.

22. Op. cit., pp. 9, 79-83, 85.

23. Op. cit., pp. 43-5, 61.

24. Op. cit., p. 63.

25. P. 155.

26. P. 153.

27. Pp. 155-6.

28. Pp. 153, 157.

29. Vid. v. g., quae indicat Binns, op. cit. p. 288, et I. IJsewijn, op. cit. t. II, pp. 412-15. Idem argumentum fuse tractatur a D. Gagliardi, in opere Il Ciceronianismo nel primo Cinquecento e Ortensio Landi (Neapoli, 1967).

# GUILHELMVS LAPIDANVS

## HVMANISTA VIROVIACENSIS

– *scripsit Demetrius Verbeke –*

**G**uilhelmus\* Lapidanus, cui nomen patrio sermone Willem Steen, vanden Steene aut Vandersteen fuisse opinamur, usque ad hunc diem tantummodo ab eruditis vitarum alicuius scriptoribus leviter stric-timque adumbratus est. Antonium Sanderum, Flandriæ illum illustratorem, qui in descriptione urbis Viroviacensis<sup>1</sup> et aliorum et Lapidani fuit memor, exempli gratia nomino, hæc de Lapidano scribentem :

« ... *Gulielmum Lapidanum*, Bergis S. Winoci Monachum, Philosophum, Theologumque scriptis celebrem »<sup>2</sup>

Nos autem tabellis publicis, litteris illius temporis orationibusque eius paulo diligentius perpensis, imaginem humanistæ Viroviacensis aliquatenus explere iam temptabimus.

È testimonio quodam<sup>3</sup> anni 1538, in quo Lapidanus triginta duos annos natum se esse revelavit, humanistam anno 1506 ortum scimus. Nullam vero notitiam eius familiae vel institutionis puerilis habemus. Viroviaci apud Belgas natus, monasterium Bergense Sancti Vinoxii adulescens intravit. Veri simile est eum circa annum vicesimum saeculi sexti decimi ab abbatte suo theologicæ disciplinæ causa Lovanium missum esse, ubi suas *Meditationes in septem psalmos pænitentiales* (apud Henricum Bærsium, 1530) et librum *De non timenda morte* (apud Rutgerum Rescium, 1533) in lucem dedit. In horum autem operum epistulis dedicatoriis Francisco Oudegherstio abbati gratias egit quod monachum is suum liberalitate sustinuit eidemque ut Lovanii studiis incumbere pergeret permisit.

Quos ibi comites habuerit patet e litteris quas ad Nicolaum Olahum dedit, virum magnæ in aula auctoritatis.<sup>4</sup> Constat inde eum, humanitate doctrinaque allec-tum, cœtum litteratorum, doctorum ac litterarum bonarum fautorum petisse :

« quemadmodum nonnunquam in nostris conventi-culis relatum est a Conrado Goclenio<sup>5</sup>, a domino decano sancti Donatiani, viro sane non inter mini-mos habendo<sup>6</sup>, a domino Sceperio<sup>7</sup>, quo aliquando usus sum Lovanii familiariter, et aliis viris et splen-dore natalium conspicuis et omnis eruditio-nis meænatibus. »<sup>8</sup>

Quæ cum ita scripserit, Viroviacensem in Trilingui illo Collegio litteras penitus didicisse credimus quod cum Conrado Goclenio, Cornelio Sceperio et Rutgero Rescio<sup>9</sup>, viris doctissimis huic collegio coniunctissimis, commercia habuit.

In eisdem epistulis ad Nicolaum Olahum datis odium vitæ monasticæ quam humanitate ac vera doctri-na alienam habuit prompsit necnon ostendit spem per-manendi in hominum urbanitate scientiaque prædito-rum consortio Lovaniensi :

« Non equidem magnopere facio immensas opes supra popularem facultatem, quas non ambire docet mea tenuitas, modo alicubi mihi prospectum esset præsidio bonorum virorum de honesta aliqua conditione, ubi daretur libere citra amussorum molestias vivere in studio litterario, quo nihil mihi magis in votis. ... Verum displicet mihi imperitia superba et pertinax odium in litteras, præsertim eorum, qui tonsura et habitu monachismum profes-si, nihil sinceræ religionis operibus exprimunt. ... Precor summe tuam benevolentiam, si aliquando offerat occasio promovendi Lapidanum, ..., velis tum redire in mei memoriam, measque partes agere ... »<sup>10</sup>

Quod an ille (Olahum dicimus) non fecerit haud scimus ; si fecit, parum prospere cessit Lapidano res, siquidem demissis auriculis monasterium Bergense repetivit hac spe ductus, fore ut abbatiali decoraretur honore. Olahum nihilominus orare perstebat ut se pro-veherer :

« ... ex corona consortioque doctissimorum virorum, quos Lovanium non sine fœnore peperit ac in dies parturit, relegatus sum ad lapicidinam, aut si quid molestius est, ineptissimorum hominum, abhorren-tium ab omni morum civilitate ac pietate vitæ, præ se ferentium tamen ipso vestitu ac tonso capillitio miram sanctimoniacæ personam, si hæc liceat illis in os dicere citra omnem invidiæ notam ; sed veritatis comes simultas est. ... Tuæ tamen dominationi, mi-patrone unice, integrum et tuum Lapidanum subri-gere in ædificium ecclesiasticum ... Tum apud nos bona studia, iam flaccida, aut potius emortua revi-viscerent ; tum monasterium non lapidibus terreis sed vivis construeretur ; tum vera religio reflores-ceret ac tacentibus graculis cygni canerent. »<sup>11</sup>

Francisco Oudegherstio abbatte anno 1535 mortuo, Lapidanus lapidem omnem movit ut ei succederet ; decessit non victor sed victus a Gerardo quodam d'Americourt, quam cladem acceptam tam moleste tulit ut vitæ monasticæ mox valedixerit. In Catalogo enim Reverendorum Abbatum Monasterii S. Winnoci cum quibusdam rerum gestarum commentariis Petrus

Walloncappellius humanistæ Viroviacensis facta ita descriptisit :<sup>12</sup>

« Cum dictus D. (dominus G. d'Americourt, DV) monasterio nostro abbas iam primum esset destinatus contigit ipsius competitorem huius domus monachum fratrem Gulielmum Lapidanum a nobis apostatare. ... Hic etenim spe abbatialis dignitatis obtinendæ frustratum se videns, iamque mente sursum dominandi, spe elata, suave iugum obedientiæ non ferens, venia petita rus proficisciendi, animi laxandi gratia, suæ professionis ac divini immemor iudicii, fugit, ac monasticen exuit, in castris diaboli deinceps militaturus vileque eius mancipium futurus. »

Lapidanus artium professor ac rector scholarum Agenni Lectoræque<sup>13</sup> apud Francogallos meridionales salutem prosperitatemque tamdiu petitam repperit. Ibi in amicitiam venit Iulii Cæsaris Scaligeri (1484-1558), bonarum litterarum fautoris, viri mira auctoritate præditi et doctorum eius regionis facile principis, qui Lapidani mentionem iniecit in epistula ad Arnoldum Ferronum Atticum, senatorem Burdigalensem data, et duobus minimum carminibus Lapidanum donavit, quorum alterum hic allatum qui usus inter Lapidanum et Scaligerum intercesserit patefacit :<sup>14</sup>

#### *Ad Lapidanum*

Ne ferox hiemis gelu pura corda retundat,  
Corda Melpomene Dea digna dignaque Phœbo,  
Parvuli moderator o Sylvii<sup>15</sup> Lapidane,  
Mox, ubi pede sordido præla pomifer annus  
Decoloribus ebrivis inquinaverit uvis,  
Mitis accipies Dei læta dona trimatri.  
Nam prius Semeles locos turgidus sinuarat,  
Mox femur Iovis intimum fecerat sibi curvum,  
Nunc tempore novo meis crevit in sabuletis.

O Deum Semele genus, mater alma bicornis,  
Iuppiter pater, ardui temperator Olympi,  
Vestra pignora habete vos. Nil ego moror ista.  
Tertium volo Liberi, lætus omne, fœtum.  
Qui simul latice inclyto Pegasi bene iunctus  
Me pigrum ignigeno ruat perciatque furore,  
Provocemque patrem Polyhymniæ Lapidanum :  
Ut de ea Polyhymnia Polypinia fiat.

Magna in scholas Agennenses earumque præceptores a præpositis ecclesiasticis suspicione hæreseos commota et inquisitione anno 1538 constituta, Lapidanus sua sponte ipse testis prodiit et in

Philibertum Sarracenum, rectorem scholarum et principem suspectum, testimonium grave dixit, nimirum ut ipse (ni fallimur) rectionem scholarum ea in urbe obtineret. Non perspicuum est quomodo Lapidanus - ut verbis Walloncappelli (quem dixi) utar - miles in castris diaboli vileque eius mancipium, orthodoxus catholicus inquisitoribus videri potuerit.

Anno 1540 humanista Viroviacensis librum quem inscripsit *Methodum Dialectices* apud Sebastianum Gryphium Lugduni typis mandavit. Hæc epitome logicæ Aristotelicæ studiosorum plausu maximo approbata iterum in publicum edita est apud eundem typographum anno 1542, quo anno et a Th. Payen eadem in urbe est excusa, deinde et apud J. Lodoicum et O. Parvum Lutetiæ Parisiorum anno 1546 et apud fratres Phillipi Cadomi anno 1556 lucem vedit publicam.

Præmissa huic operi tum alia, tum *Admonitio Guilhelmi Lapidani ad obtrectatorem*, fiduciæ plena lepidoque verborum lusu insignis :

In durum lapidem quisquis sua spicula torquet,  
In caput ipsius sæpe retorta cadunt.  
Zoile, ne tentes Lapidani tangere muros  
Ne tete calamo tangat et ipse suo.

Præfatio *Methodi Dialectices* iudicium censuramque habet eorum qui idem argumentum antea tractaverunt, in quos etiam atque etiam contumelias iecit noster :

« ... quemadmodum hac tempestate istud unum nescio quibus male feriatis hominibus fieri compirimus. Videmus passim in gymnasiis literariis exoriri sciolos quosdam, et verbosos Sophistas qui interim miro quodam supercilios tractantes omnia, non solum nullum certum docendi ordinem insequantur, verumetiam præter nugas, quas tractant, Siculis (quod aiunt) gerris vaniores, teneros animos torquent difficultatibus et gryphis non necessariis. Quotusquisque existit inter tot examina literaturum, qui non id genus nugones, iuuentutis impositores, ne dicam, derideat, imo publica dignos censeat execratione? ... in meditullio gravissimarum occupationum calamum admoverim iis contexendis, quæ ad arcana Philosophiæ Aristotelicæ animos tyrunculorum sensim traducant : nimirum reputans mecum, quam multi φιλάυτοι, qui sibi videntur ingeniosi homines, suis summulis male consutis officiant sæpe, et remoras iniiciant ad metam Philosophiæ tendentibus. ... Ego vero tale docentium genus, cane et angue peius odi, ut qui optimis studiis pessime velle videntur. Quorsum eiusmodi

nænias, omnium bonorum studiorum pestes, inventi hunt in publicas scholas politiori literaturæ consecratae? Non video mehercle, nisi ut sepultis disciplinis omnibus melioribus, crassa illorum barbaries ubique grassaretur liberius; et illi interim apud sui similes instar summorum virorum haberentur. ... Philautis istis et sui admiratoribus relinquo inanem sui ingenii ostentationem ... nimirum cum probe intelligam eam artem repartam esse ad recte simpli- citerque iudicandum de veris et falsis, non ad clama- mosas cavillationes phreneticorum eiulatibus similes. »

Post editionem eam Lugdunensem anni 1540 obmutescunt fontes nostri. Quare immaturane morte sit præreptus an in vita diutius fuerit eaque obscura, non liquet. Itaque tenebræ oblivionis aliqua tantum ex parte discussæ esse videntur. ■■■

\* Gratias maximas Gert Partoens et Theodorico Sacré ago qui scriptum meum correxerunt castigaveruntque.

1. Viroviacum, vulgo Wervik quod Flandriæ occidentalis est oppidum.
  2. Antonius Sanderus, *Flandria Illustrata* (ed. Coloniæ Agrippinæ, 1644), II, p.649.
  3. Testimonium Lapidani apud inquisidores Agenni conservatum (*Archives départementales de Lot-et-Garonne*, nr. G.G.29) et in Fallières M.O. - Durengues, 'Enquête sur les commencements du protestantisme en Agenais',
- Recueil des travaux de la Société d'Agriculture Sciences et Arts d'Agen*, 2, 16 (1913), pp.343-344 editum.
4. Nicolaus Olahus (1493-1568) Thesaurarius Albensis, Secretarius et Consiliarius reginæ Mariæ, qui cum Bruxellæ versaretur (1531-1539), Desiderio Erasmo, Petro Nannio aliisque præstantibus humanistis Germaniæ Inferioris familiariter est usus.
  5. Conradus Goclenius (†1539), professor linguae Latinæ apud Collegium Trilingue et amicus Erasmi.
  6. Dominus decanus sancti Donatiani Brugensis Marcus Laurinus (1488-1540), fautor et amicus litterarum antistitum (Vivis, Mori, Erasmi,...).
  7. Cornelius Duplicius Scepperus (1502-1555), adolescens bonarum litterarum studiosus in Collegio Trilingui idemque Goclenio familiaris.
  8. Lapidanus ad Olahum, 07/06/1534. Utimur editione *Oláh Miklós. Levelezései*, ed. Ipolyi Arnold, *Monumenta Hungaria Historica. Diplomataria XXV* (Budapestini, 1875). Hæc citata reperiuntur p.510.
  9. Rutgerus Rescius (†1545), professor linguae Græcae apud Collegium Trilingue, typographus et amicus Olahi.
  10. Lapidanus ad Olahum, 18/09/1534 (op. cit., p.522-523).
  11. Lapidanus ad Olahum, 06/01/1535 (op. cit., p.439-440).
  12. Codex ille manu scriptus in Bibliotheca Bollandiana Bruxellis conservatur. Hæc citata p.103-105 reperiuntur commemoranturque ab Alexandre Pruvost, *Chronique et cartulaire de l'abbaye de Bergues-Saint-Winoc de l'ordre de Saint-Benoît*, t. 1 (Brugis, 1875), p.404.
  13. Vulgo Agen (département Lot-et-Garonne) et Lectoure (département du Gers).
  14. Editiones huius carminis : *Iulii Cæsaris Scaligeri viri clarissimi poemata in duas partes divisa* (apud Petrum Santadreanum, s.l., 1591) et *Iulii Cæsaris Scaligeri viri clarissimi poematum duæ partes* (in bibliopolo Commeliniano, s.l., 1621).
  15. Sylvius Scaliger (°1530), filius Iulii Cæsaris Scaligeri, puer Lapidani curis commissus.

## NAVIGATIO SANCTI BRENDANI

- *historia mediævalis adaptata a Francisca Deraedt -*

**S**ancti Brendani Navigatio numeratur inter notissimas Medii Ævi historias : centum viginti baud minus manuscripta inveniuntur non solum in Hibernia – est enim Brendanus, una cum sancto Patricio et sancto Columba, Hibernorum patronus –, sed etiam in multis aliis regionibus. Inde fit ut ipse narrationis textus, propter longam traditionem, interpolationes multas variasque lectiones difficulter constituatur. Prima manuscripta, quæ ad nos usque pervenerunt, sæculo conscripta sunt decimo, ultima quinto decimo sæculo. Qui sit auctor, nescitur. Pauca solum indicia e textu possunt colligi : videlicet eum versatum fuisse in Hibernica hagiographia, Hibernica geographia, historia, moribus, nauticis fabulis. Nam eius narratio multis æqualibus potuit utilitati esse : prædictori, missionario, pædagogo, scholastico, exploratori, necnon regi, cuius natio tantum beroem peperisset.

Sanctus autem Brendanus, navigator, non est solus sanctus Brendanus in Hibernia : numerari dicuntur septemdecim viri eiusdem nominis. Noster natus est sub finem sæculi quinti, fuit abbas clarissimus, obiit annis sæculi sexti septuagesimis. Cum vixerit ad litus maris, mare arte coniungitur cum eius vita. Tamen historia quam, lector, tibi mox proponam, fabulis et facinoribus ita decursu temporum est locupletata, ut ipse Brendanus mirari possit hic agi de se. Sed hæc historia eo etiam est attractiva, quod non solum narrat vitam cuiusdam sancti ; narrat appetitum, affectationem quandam tam veterem quam humanitatem : voluntatem dico inventiendæ « Terræ repromotionis », alterius mundi, Atlantidis, Elysiorum, Insularum Fortunatarum, Utopiæ. Ad quas, ut docet hagiographus, christianus pervenire non valet nisi fervore religioso et ascesi.

Facile intellegitur cur hæc narratio, Christiana religione fundata, relationibus nautarum commixta, miris fabulis ornata, classicis memoris condita, ob suam singularitatem decies deciesque in continente sit transscripta. Eandem ad usum tuum, lector, exui ueste mediævali in nostrumque communem sermonem verti et adaptavi commodi causa, cum non pauca inessent a commentatoribus varie et difficulter interpretata. Hic illic unam alteram sententiam sustuli, qua narratio prægravabatur. Præterea originalem textum aut vix aut nullo modo mutavi ubi non visum est utile. Sic præbetur textus expeditus e vitiis mediævalibus, facilis lectu, qui discipulis etiam bene conveniet. Veniam procul dubio dabit auctor anonymous, quippe qui textum suum per sæcula iam videbit a scribis diversimode corruptum. Addamus historiam hic propositam niti editione critica a Carolo Selmer facta.<sup>1</sup>

## ORIGO SANCTI BRENDANI – HISTORIA SANCTI BARINTHI.

Sanctus Brendanus, filius Finlochæ, natus est in regione Mumenensium<sup>2</sup>, ad litus maris. Fuit vir magnæ abstinentiæ, virtutibus clarus ; tribus fere milibus monachorum præfuit.

Quadam autem vespera ad eum venit monachus quidam nomine Barinthus, eius nepos. Qui, cum interrogaretur a sancto patre, quid vellet, cœpit lacrimare atque se prostravit Deum implorans. At sanctus Brendanus eum erexit et osculatus est eum, dicens : « Pater, unde hæc tua tristitia ? Lætitiam potius debes fratribus adferre ! Refice animas nostras, narra diversa miracula, quæ in oceano vidisti. »

His dictis, sanctus Barinthus cœpit de quadam insula narrare hæc :

« Filiolus meus Mernoc, procurator pauperum Christi, a me discessit et voluit esse solitarius. Invenitque insulam nomine Deliciosam. Post longum vero tempus mihi nuntiatum est eum plures monachos secum habere Deumque multa mirabilia per eum ostendere. Itaque statui filiolum meum visitare. Cumque appropinquarem post iter trium dierum, ecce ille obviam venit cum fratribus suis. Revelaverat enim Dominus ei adventum meum. Appellentibus nobis ad prædictam insulam, e diversis cellulis fratres, sicut examen apum, occurrerunt. Est enim eis habitatio sparsa, sed communitas fidei, spei, caritatis et refectionis. Nihil aliud cibi ministratur, nisi poma et nuces atque radices et cetera genera herbarum. At post completriū singuli in singulis cellis usque ad gallorum cantus seu pulsum campanæ permanent.

Cum ibi morarer insulamque totam perambularem, filiolus meus me duxit ad litus maris, ad occidentem versus, ubi erat navicula, atque mihi dixit hæc : « Pater, conscende in navem et navigemus ad occidentem, usque ad insulam quæ dicitur terra repromotionis sanctorum, quam Deus datus est successoribus nostris. » At cum concendissemus et navigaremus, nebulæ nos undique ita cooperuerunt, ut vix possemus puppim aut proram naviculæ aspicere. Transacta vero una fere hora, circumfulsit nos lux ingens, et apparuit terra spatiosa et herbosa valdeque pomifera. Nave ad terram appulsa, descendimus et lustravimus per quindecim dies illam insulam, cuius finem invenire non potuimus. Nihil herbæ vidimus sine floribus, nihil arborum sine fructu. Lapidès in illa insula generis pretiosi sunt. Porro quinto decimo die invenimus fluvium vergentem ab orientali parte ad occasum<sup>3</sup>. Cum consi-

deraremus hæc omnia, dubium nobis fuit quid ageremus.

Placuit transire flumen. Sed exspectavimus Dei consilium. Cum hæc intra nos volveremus, subito coram nobis apparuit vir splendidus, qui statim pro priis nominibus nos appellavit atque salutavit, et : « Euge, inquit, boni fratres. Dominus enim revelavit vobis hanc terram, quam datus est suis sanctis. Est autem insula hoc flumine in duas partes divisa. Non licet vobis transire ulterius. Revertimini igitur unde venistis. » Cum hæc dixisset, statim eum interrogavi unde esset aut quo nomine vocaretur. Tum ille : « Cur me interrogas unde sim aut quomodo vocer? Quare me non interrogas de hac insula? Sicut eam nunc vides, ita ab initio mundi permansit. Indigesne cibo aut potu sive vestimento? Unum enim annum es in hac insula et non gustavisti de cibo aut de potu. Numquam oppressus es somno, nec nox te operuit. Nam dies hic semper caret cæcitatem tenebrarum. Lux ipsius insulæ est Dominus noster Iesus Christus. »

Confestim incohavimus iter et ille vir nobiscum pervenit usque ad litus ubi erat navicula nostra. Cum in navem concenderemus, idem raptus est ab oculis; nos revertimus per prædictam caliginem ad insulam Deliciosam. At ubi fratres nos viderunt, lætitia exsultaverunt et lamentati sunt nostram absentiam fuisse tam longam, dicentes : « Cur, patres, dimisistis vestras oves sine pastore in ista silva errantes? Scimus abbatem nostrum a nobis frequenter discedere, sed nescimus quo eat, et ibidem commorari aliquando unum mensem, aliquando duas hebdomadas seu unam hebd madam vel plus minusve. » Cum hæc audivissem, cœpi eos consolari his verbis : « Nolite, fratres, quicquam suspicari. Locus, ubi habitatis, procul dubio est ante portam paradisi. Hic prope est insula quæ vocatur terra re promissionis sanctorum, ubi nec nox imminet nec dies finitur. Illuc ire solet vester abbas Mernoc. Angelus enim Domini eam custodit. Nonne cognoscitis ex odore vestimentorum nostrorum nos fuisse in paradi so Dei? » Tunc fratres responderunt hæc : « Abba, scimus te fuisse in paradi so Dei trans mare, sed ubi sit ille paradi sus ignoramus. Nam sæpe animadvertisimus fragrantiam vestimentorum abbatis nostri, cum inde reverteretur post iter quadraginta die rum. »

Illic mansi duas hebdomadas continuas cum filio lo meo, sine cibo et potu. Ieiunium tam facile sustinui mus, ut alii videremur musto repleti. Post quadraginta dies, accepta benedictione fratrum et abbatis, profectus sum cum sociis meis ut redirem ad cellam meam, ad quam cras iturus sum. »

His auditis, sanctus Brendanus et tota eius congregatio<sup>4</sup> se prostraverunt, glorificantes Deum atque dicentes : « Iustus Dominus in omnibus viis suis et sanctus in omnibus operibus suis<sup>5</sup>, quia revelavit servis suis tanta ac talia mirabilia, et benedictus in donis suis, quia nos hodie refecit tali gusto spirituali. » His finitis sermonibus, sanctus Brendanus dixit hæc : « Eamus ad refectionem corporis et ad mandatum novum<sup>6</sup>. » Transacta autem nocte, mane accepta benedictione fratrum, ad cellam suam sanctus Barinthus perrexit.



#### SANCTI BRENDANI CONSILIIUM

Igitur sanctus Brendanus de omni congregatione sua elegit bis septem fratres, se cum eis conclusit in orarium eosque sic allocutus est : « Commilitones mei amatissimi, consilium atque adiutorium a vobis exspecto, nam cor meum et omnes cogitationes meæ intentæ sunt in unam voluntatem. Si hæc est voluntas Dei, terram re promissionis sanctorum, de qua locutus est pater Barinthus, in animo habeo quærere. Quid vobis vide tur? Quod consilium mihi vultis dare? »

Illi vero, agnita voluntate sancti patris, quasi uno ore dicunt omnes : « Abba, voluntas tua ipsa est et nostra. Nonne parentes nostros dimisimus, nonne hereditatem nostram despeximus et corpora nostra tradi dimus in manus tuas? Itaque parati sumus sive ad mortem sive ad vitam tecum ire. Unam rem tantum quæramus, Dei voluntatem. »

Ergo sanctus Brendanus constituit ut ieiunarent quadraginta dies et postea proficerentur. Transactis iam quadraginta diebus et salutatis fratribus commendatisque omnibus præposito monasterii – qui postea

fuit eius successor eodem loco – profectus est secundum litus occidentale cum quattuordecim fratribus ad insulam cuiusdam sancti patris, nomine Endæ. Ibi demoratus est tres dies et tres noctes.

## FABRICATIO NAVIS – PROFECTIO

Post hæc, accepta benedictione sanctis patris et omnium monachorum qui cum eo erant, profectus est in extremam provinciam, ubi demorabantur parentes eius. Attamen noluit illos videre, sed in summitate cuiusdam montis, qui longe extendebatur in oceanum, in loco qui dicitur Sedes Brendani, fixit tentorium. Sanctus Brendanus et qui cum eo erant, acceptis ferramentis, fecerunt naviculam levissimam, lignis incurvis costatam, sicut mos est in illa regione<sup>7</sup>, et cooperuerunt eam coriis bovinis roboreo cortice conditis<sup>8</sup>. Et liniverunt omnes iuncturas pellium butyro, et in nave deposuerunt alia coria et victus quadraginta dierum et butyrum ad pelles præparandas et cetera utensilia quæ ad usum vitæ humanæ pertinent. Arborem quoque posuerunt in media nave fixam et velum et cetera quæ ad gubernationem pertinent. Tunc sanctus Brendanus fratribus suis præcepit ut in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti navem concenderent.

Cumque ille solus staret in litore et benedicet portum, ecce tres fratres e monasterio advenerunt. Qui statim ceciderunt ante pedes sancti patris, atque : « Pater, aiunt, sine nos ire tecum quo iturus es ; alioquin isto loco moriemur fame et siti. » Vir Dei, videns in quibus angustiis essent, iussit eos navem concedere, dicens : « Fiat voluntas vestra, o filioli. » Sed addidit hæc : « Scio quo animo veneritis. Iste frater bonum opus fecit. Deus ei præparavit aptissimum locum. Vobis autem iudicium præparabit tærrorum. »

Conscendit autem sanctus Brendanus in navem extensisque velis cœperunt navigare ad septentrionem versus. Habebant autem prosperum ventum, et nihil eis opus fuit navigare, tantum tenere vela.

Post quindecim dies ventus cessavit, et cœperunt navigare usque dum vires deficerent. Confestim sanctus Brendanus eos confortavit admonuitque his verbis : « Fratres, nolite formidare. Deus enim noster est adiutor et dux et gubernator ; ipse gubernat. Mittite intus omnes remos et gubernaculum. Tantum relinquite vela extensa et faciat Deus id quod vult de servis suis et de sua nave. »

Ad vesperam semper quiescebant. Et aliquando ventum habebant, sed tamen ignorabant e qua parte veniret aut in quam partem ferretur navis.

## INSULA DESERTA

Consumptis iam quadraginta diebus et omnibus cibariis, e parte septentrionali apparuit eis quædam insula valde saxosa et alta. Cum autem appropinquarent ad litus, viderunt ripam altissimam, sicut murum, et diversos rivulos de summitate insulæ defluentes in mare. Tamen minime poterant invenire portum, ubi navis consisteret. Fratres valde vexabantur fame et siti. Itaque singuli cœperunt vascula, ut aliquid de aqua sumere possent. Sanctus Brendanus tum dixit : « Nolite hoc facere. Stultum est id quod agitis. Deus nondum vult nobis ostendere portum, et vos vultis rapinam facere ? Dominus Jesus Christus post tres dies ostendet servis suis portum et mansionem, ut reficiantur corpora vexatorum. »

Circumierunt per tres dies illam insulam, atque tertio die circa horam nonam invenerunt portum, cuius aditus uni solum navi patebat. Sanctus Brendanus statim surrexit et introitum benedixit. Cum omnes de nave descenderent, sanctus præcepit ne quicquam de supellecile foras auferrent. Eis tunc ambulantibus occurrit canis, qui venit ad pedes viri sancti sicut solent canes venire ad pedes dominorum suorum. Tunc sanctus Brendanus fratribus suis dixit : « Nonne bonum nuntium donavit nobis Deus ? Sequimini eum. » Atque sanctus cum fratribus suis canem secutus est usque ad oppidum... ☩

(continuabitur)

1. *Navigatio Sancti Brendani Abbatis*, edited with Introduction and Notes by C. SELMER, Dublin, Four Courts Press, 1989. Ex hoc libro excerpta est imago tegumenti.

2. I.e. in provincia Hibernica cui nomen est Munster.

3. Nonnulli commentatores putant sanctum appulisse in Americam huncque fluvium esse Ohium (v. Ohio). Cfr C. Selmer, *op. cit.*, p. 83.

4. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, Parisiis, 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, II, p. 504 : congregatio, monachorum cœtus.

5. Ps. 145,17.

6. Evangelium secundum Iohannem, 13, 34 : « Mandatum novum do vobis : ut diligatis invicem. »

7. Brendanus fabricat curucum, sine navem coriaceam, Celtice vocatum *curach*, Anglice *coracle* ; huiusmodi naves in Hibernia in usu fuerunt ab antiquissimis temporibus. Cfr Plinius, Hist. Nat., IV, 16 : « Dicit Britannos vilibus navigiis corio circumstutis navigare. »

8. Corium cortice condunt, i.e. cortice tractant, ne putrescat.

# BIBLIOTHECA LATINA

## DE NOVIS LIBRIS

B. LUISELLI, E. PALMÉN, T. PEKKANEN (ED.), *Acta selecta noni conventus Academiæ Latinitati Fovendæ (in urbe Jyväskylä, 6-12 Augusti MCMXCVII)*, Romæ in ædibus Herder, 2002, 409 pp.


In omnium memoriis adhuc hæret nonus Academiæ Latinitati Fovendæ conventus ab amicis nostris Finnis in urbe Jyväskylä, in media Finnia, ante quinque annos lautissime institutum. Cuius acta in lucem nuper edita eis proderunt, quibus cordi est sive lingua Latina hodie docenda, sive relationes inter orbem Latinum et terras septentrionales antiquissimæ et mediævales ; hæc enim fuerunt inter conventum themata tractanda. Qua ratione docendum sit, num vivo modo, ridendo, legendo, scribendo, quæ experientiæ didascalicæ in variis terris factæ sint : et hæc argumenta et alia, historicæ, scientiæ, litteraria, lectori copiosam præbent diversitatem.

I.S.B.N. 88-86301-02-3.

H.M. REMARQUE, *De Nocte Olisiponensi*, in Latinum vertit S. Albert, Saraviponti, Societas Latina, 2002, 220 pp.

Quid prodest hodiernos textus litterarios in Latinum vertere ? Multum prodest. Nam tales textus pertinent ad nostram vitam et ad nostram mentem. Eos Latine legendo simul et delectamur et exercemur et videmus quomodo res nostri temporis Latine exprimantur. Sigrides Albert hic elegit fabulam Germani scriptoris Erici Mariæ Remarque (1898-1970) quam non dicemus esse hilarem, cum agatur de tempore Hitleriano ; sed hæc narratio plena humanitatis attingit eventa historica, quæ bonum est recordari, atque lectorem æternis thematibus movet, quæ sunt exsilio, ægrotatio, amor. Translatrix lectori præbet versionem subtilem, scite et accurate descriptam, cui additus est utilis index verborum novorum.

Societas Latina, Universität des Saarlandes, FR 5.2, D-66041 Saarbrücken.





# *In hoc fasciculo !*

*De Academiæ conventu [G. Licoppe] p. 1*

*De Sassanidarum imperio [G. Licoppe] p. 2*

*F. Waquet, Le latin ou l'empire d'un signe [T. Tunberg] p. 7*

*Guilhelmus Lapidanus [D. Verbeke] p. 10*

*Navigatio Sancti Brendani [F. Deraedt] p. 13*

*Bibliotheca Latina p. 16*

---

## INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ

tironibus apta

a Fundatione Melissa præbetur

omni Mercurii die ab hora 18 ad horam 19.30

in Museo Domus Erasmianæ

(31, rue du Chapitre, 1070 Bruxelles)

Si quis plura scire cupit :

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18

Telecop. + 32 (0) 2.735.51.32.

[guy.licoppe@pophost.eunet.be](mailto:guy.licoppe@pophost.eunet.be)

---

